
SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650
CHRISTO ET ECCLESIAE

DE

INTERREGIBUS ROMANIS

SCRIPSIT

FERDINANDUS BAMBERGER.

BRUNSVIGAE,

TYPIS EXPRESSIT FRIDERICUS OTTO.

MDCCCXLIV.

1857. June. 23.

Gift of

Wm. F. Allen

of West-Newton

(H.U. 1851.)

Antiquissimo civitatis Romanae tempore, quo reges a senatu et populo creati imperium obtinebant, ubi rex decessisset, interreges fuisse constat, qui rempublicam administrarent et comitiis novo regi creando praeessent, sed de modo, quo ipsi creati sint, de numero eorum et de tempore, quo imperium penes singulos fuerit, diversissima traduntur a tribus auctoribus Livio Dionysio Plutarcho. Livius l. I. c. 17, postquam exposuit Romulo mortuo factionibus inter ordines certatum esse, quia et Romani veteres et oriundi a Sabinis sui corporis creari regem voluerint, haec scripsit: „Timor deinde patres incessit, ne civitatem sine imperio, exercitum sine duce, multarum circa civitatium irritatis animis, vis aliqua externa adoriretur. Et esse igitur aliquod caput placebat, et nemo alteri concedere in animum inducebat. Ita rem inter se centum patres, decem decuriis factis, singulisque in singulas decurias creatis, qui summae rerum praeessent, consociant. Decem imperitabant, unus cum insignibus et lictoribus erat; quinque dierum spatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat; annuumque intervallum regni fuit. Id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, interregnum appellatum.“ In his errorem inesse apertum est; centum enim senatores recensentur, quem numerum Sabinis adjunctis duplicatum fuisse satis constat. Qua in re Livium temere a plurimorum sententia discessisse parum verisimile est; aut multum fallimur, aut causa, ob quam senatum Sabinis auctum tradere noluerit, haec ipsa putanda est, quod interregno post Romuli mortem inito centum tantum senatores apud annalium scriptores commemorari videret. Quod utcunque est, vera interregni ratio ita tantum ex Livii verbis conjectura expediri poterit, ut origo, unde error ille natus sit, simul aperiatur. Ceterum in ipsis verbis insunt, quae,

nisi attentius legeris, duplicem interpretationem admittere videantur; ambigere enim quis possit, utrum decem, quos imperitasse dicit, intelligatur decuria, quam ita imperasse tradat, ut nomen et insignia interregis penes unum fuerint, an decem interreges ex singulis decuriis creati. Falsum esse, quod priore loco posui, ostendunt verba praecedentia, quibus non decuriae sed decem in singulas decurias creati summae rerum praefuisse dicuntur. Dionysii I. II. c. 57 haec verba sunt: *Τῷ δ᾽ἑξῆς ἐνιαυτῷ βασιλεὺς μὲν οὐδεὶς ἀπεδείχθη Ῥωμαίων, ἀρχὴ δέ τις, ἣν καλοῦσι μεσοβασίλειον, ἐπεμελεῖτο τῶν κοινῶν, τοιόνδε τινὰ τρόπον ἀποδεικνυμένη· τῶν πατρικίων οἱ καταγραφέντες εἰς τὴν βουλὴν ὑπὸ Ῥωμύλου διακόσιοι τὸν ἀριθμὸν ὄντες, ὥςπερ ἔφην, διενεμήθησαν εἰς δεκάδας· ἔπειτα διακληρωσάμενοι τοῖς λαχοῦσι δέκα πρώτοις ἀπέδωκαν ἄρχειν τῆς πόλεως τὴν αὐτοκράτορα ἀρχήν. Ἐκεῖνοι δ᾽οὐχ ἅμα πάντες ἐβασίλευον, ἀλλ᾽ ἐκ διαδοχῆς ἡμέρας πέντε ἕκαστος, ἐν αἷς τάς τε ῥάβδους εἶχε καὶ τὰ λοιπὰ τῆς βασιλικῆς ἐξουσίας σύμβολα. Παρεδίδου δ᾽ ὁ πρῶτος ἄρξας τῷ δευτέρῳ τὴν ἡγεμονίαν, κἀκεῖνος τῷ τρίτῳ, καὶ τοῦτ᾽ ἐγένετο μέχρι τοῦ τελευταίου· διεξελθούσης δὲ τοῖς πρώτοις δέκα βασιλεῦσι τῆς πεντηκονθημέρου προθεσμίας ἕτεροι δέκα τὴν ἀρχὴν παρελάμβανον, καὶ παρ᾽ ἐκείνων αὖθις ἄλλοι.* Dionysii igitur sententia est, senatum ducentorum patrum in viginti decurias descriptum fuisse; non singulos in singulas decurias creatos, sed omnes senatores ad interregnum accessisse, quod per omnes ita in orbem ivisse, ut decuriae singulae quinquaginta dierum, singuli ex decuriis quinque dierum imperio potirentur. Quae ratio ut apertior quam Liviana ita parum probabilis est. Cujus quasi fundamentum est, quod aequatur dignitas et honor senatorum, qui sorte ducti deinceps omnes nulla aetatis generis virtutis ratione habita ad imperium accedunt. Hoc in Romana civitate factum putabis, quae semper principum imperio addicta fuit? Nam ne postero quidem tempore, quo ea esset imperii forma, qua per populum summa rerum gereretur, senatus unquam aequandae dignationis studiosus erat. Accedit alia caussa, quae Dionysii rationem parum probabilem esse demonstrat. Nam si ducentorum senatorum deinceps per quinos dies interregnum fuisse sumis, trium annorum spatium efficitur, quo orbis per omnes iverit. Quae imperii diuturnitas parum convenit magistratui, qui ad breve tempus sumi solebat. Neque id ita excusari potest, ut minime necessarium fuisse dicas, regnum ad multos pervenire, quod etiamsi intra paucissimos plerumque steterit, tamen quod sorte ducerentur aequum jus omnium fuisse. Nam ipsum Dionysium de orbe, qui per omnes iverit, cogitasse ex verbis ejus apparet, qui senatum primum in decurias dividi solitum esse scribit, has deinde sorte ductas ea lege imperio potitas esse, ut post quinquagenos dies

novae decuriae cederent [1]). Quid quaeris, apparet Dionysio, qui Romana instituta ad Graecorum normam exigeret, similem interregni rationem obversatam esse, atque in Atheniensium senatu obtineret, in quo alternarent prytanes, ex quibus proedri sorte ducerentur, quorum unus et senatui universo et populi comitiis praeesset. Qualis ratio et ab instituta apud Romanos reipublicae ratione et ab ipsa interregni natura abhorret. Quae si reputaveris, Dionysii in omnibus, quae l. l. de interregno tradat, auctoritatem nullam esse intelliges, qui quum ea quae apud annalium scriptores de interregno tradita reperiret, aut inter se aut cum reliqua reipublicae forma (ob senatorum, opinor, numerum, quem diversum traderent) conciliare nequisset, ipsum scribere maluisse consentaneum est, quae cum notionibus, quas de rebus Romanis concepisset, conspirarent. Et ceteris locis, quibus de interregno loquitur, verba non sunt ea, quibus ratio ab ipso inita confirmetur. Nam non sorte ductos, sed creatos, neque universum senatum sed certum numerum fuisse eosque maximos natu et honoratissimos quosque, denique interregem a senatu creatum successorem sibi ipsum nominasse scribit. L. III. 1. *Τελευτήσαντος δέ Νομᾶ ἡ βουλὴ καθίστησιν ἐκ τῶν πρεσβυτέρων τοὺς ἄρξοντας τὴν μεσοβασίλειον ἀρχὴν εἰς ὡρισμένον τινὰ ἀριθμόν·* l. eod. c. 36. *Μετὰ δὲ τὴν Ὀστιλλίου Τύλλου τελευτὴν ἡ μεσοβασίλειος ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀποδειχθεῖσα ἀρχὴ κατὰ πατρίους ἐθισμοὺς αἱρεῖται βασιλέα τῆς πόλεως Μάρκιον ἐπίκλησιν Ἄγκον·* l. eod. c. 46. *Μετὰ δὲ τὸν Ἄγκου Μαρκίου θάνατον ἡ βουλὴ — ἀποδείκνυσι μεσοβασιλεῖς· οἱ δὲ συναγαγόντες εἰς ἀρχαιρεσίας τὸ πλῆθος αἱροῦνται βασιλέα Λεύκιον Ταρκύνιον·* unum locum addidisse sufficiat l. VIII. 90: *ἡ βουλὴ πολὺν ἐσκόπει χρόνον, ὅ τι χρήσεται τοῖς πράγμασι —· ἦν δὲ ἡ μὲν αὐθαδεστέρα γνώμη δικτάτωρα ἑλέσθαι τῶν ἀρχαιρεσιῶν ἕνεκα —· ἡ δὲ ἐπιεικεστέρα μεσοβασιλεῖς ἑλέσθαι τοὺς πρεσβυτάτους τε καὶ τιμιωτάτους ἄνδρας, οἷς ἐπιμελὲς ἔσται τὰ περὶ τὰς ἀρχὰς, ὅπως κράτισται γενήσονται, προνοηθῆναι, τὸν αὐτὸν τρόπον ὅνπερ ἐπὶ τῶν βασιλέων τῶν ἐκλιπόντων ἐγίγνετο. Ταύτῃ προςθεμένων τῇ γνώμῃ τῶν πλειόνων ἀποδείκνυται πρὸς αὐτῶν μεσοβασιλεὺς Αὖλος Σεμπρώνιος Ἀτρατῖνος· αἱ δ᾽ ἄλλαι κατελύθησαν ἀρχαί· οὗτος ἐπιτροπεύσας τὴν πόλιν ἀστασίαστον, ὅσας ἐξῆν ἡμέρας, ἕτερον ἀποδείκνυσιν, ὥςπερ αὐτοῖς ἔθος ἦν, Σπόριον Λάρκιον* sqq., de quo l. infra plura dicentur.

Tertius locus de comitiis post Romuli mortem habitis apud Plutarchum legitur in vita Numae c. II: — *ὑπὲρ μὲν οὖν τούτων ἐστασίαζον· ὅπως δὲ μὴ σύγχυ-*

1) Cur non interreges ipsi statim sorte ducantur ex senatoribus, sed prius decuriae fiant, in ratione Dionysii caussa nulla apparet. Verba ejus *οἱ καταγραφέντες-διενεμήθησαν εἰς δεκάδας* non possunt verti: divisi erant, ut Dionysii sententia sit, senatum jam ante interregnum in decurias divisum fuisse. Falsum enim hoc esse ostendit sequens *ἔπειτα*.

σιν ἐκ τῆς ἀναρχίας ἡ στάσις ἀπεργάσηται, μετεώρου τοῦ πολιτεύματος ὄντος, ἔταξαν οἱ πατρίκιοι, πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν ὄντων αὐτῶν, ἐν μέρει ἕκαστον τοῖς βασιλικοῖς παρασήμοις κοσμούμενον θύειν τε τοῖς θεοῖς τὰ νενομισμένα καὶ χρηματίζειν, ἓξ μὲν ὥρας τῆς νυκτὸς, ἓξ δὲ τῆς ἡμέρας (Κυρίνῳ) [1]. *Καὶ γὰρ ἡ διανομὴ τῶν καιρῶν ἑκατέρου πρὸς ἰσότητα καλῶς ἔχειν ἐδόκει τοῖς ἄρχουσι, καὶ πρὸς τὸν δῆμον ἡ μεταβολὴ τῆς ἐξουσίας ἀφαιρεῖν τὸν φθόνον, ὁρῶντα τῆς αὐτῆς ἡμέρας καὶ νυκτὸς τὸν αὐτὸν ἰδιώτην ἐκ βασιλέως γενόμενον.* Τὸ *δὲ σχῆμα τοῦτο τῆς ἀρχῆς μεσοβασιλείαν οἱ* Ῥ*ωμαῖοι καλοῦσιν.* **Plutarchi igitur sentententia est, senatores, qui centum quinquaginta fuerint, deinceps omnes interreges factos esse, sed singulorum imperium non amplius duodecim horarum fuisse ita divisarum, ut sex horae ad noctem sex ad diem pertinerent. Quam sententiam exploserunt omnes ut neque per se probabilem et iis, quae reliqui traderent contrariam. Jure quidem illi suo, sed minus caute, nam qui in res populorum antiquissimas et fabulis involutas studium converterunt, bene cognitum habent, ex iis quae ipsa falsa sint, saepenumero vera vel erui vel confirmari. Niebuhrius fabulam falso senatorum numero, qui a Plutarcho tradatur, inniti dicit [2]; cui fidem non habemus, quum nexus inter ea quae Plutarchus de imperio interregum scribit et numerum senatorum, a quo Niebuhrius illa pendere vult, nullus appareat. Immo a Plutarcho narrata hanc originem traxerunt. Nam quod apud annalium scriptores tradebatur senatum, ubi res ad interregnum veniret, in decurias dividi solitum esse, quae singulae quinque dierum imperium haberent, Plutarchus sive quicunque ejus sententiae primus auctor fuit, ita intellexit, ut non unum ex decuria sed omnes decem deinceps eo dierum spatio imperasse crederet; unde singulis dimidia diei pars, qua regnaverint, evenit. Et hoc quidem ipsa res docebat, non potuisse dies inter binos ita distribui, ut alteri lucis, alteri noctis tempora darentur; unde diserte Plutarchus media nocte et meridie interregna inita scribit. Fuisse autem in annalibus verba, quibus homo utique Graecus, qui patriae suae instituta animo teneret, in errorem facile induci posset, eo magis est verisimile, quod etiam Livii verba, id quod supra monuimus, ea sunt, ut, nisi attente legeris, vehementer dubitare possis, utrum ex decuriis singulis unum solum quinque dierum spatio an cum principe**

---

1) Vocabulum *Κυρίνῳ* insiticium aut corruptum. Inesse etiam aliam corruptelam aliquam ostendunt verba *ἐν μέρει ἕκαστον*, quae hiatum habent, qualis apud Plutarchum non legitur. De quo argumento copiose exponet postremo editionis volumine Vir nobis amicissimus C. Sintenis. Et hoc quidem loco vitium facili transpositione tolli poterit.

2) P. 378. „Diese Erzählung fällt mit der hohlen Basis der Zahl des Senats, worauf sie ruht.“

etiam novem reliquos imperitasse dicat. Quamquam Plutarchum non eundem cum Livio fontem secutum esse, apparet e diverso, quem uterque tradunt, senatorum numero, qua in re utri fides habenda sit, dubium non est. Sed hoc jam apparet, quamquam falsa sit Plutarchi sententia, confirmari ab eo a Livio tradita, si numerum senatorum exceperis, omnia; nam quamquam Plutarchus decurias silentio praetermittit, tamen verbis ejus fuisse probantur, quod mirum illud regnum, quo dies dimidiantur, ex sola decuriarum descriptione explicari potest. Et Plutarchi auctoritas eo pluris facienda, quod e diversis fontibus utrumque hauisse ex ipsa discrepantia patet. Illum autem, quae scripsit, de suo quidem non hausisse, sed quae apud auctorem alium invenerit, parum cogitate retulisse, ob hanc caussam verisimile est, quod idem in vita Romuli [1]) non eum, quem h. l., sed ducentorum senatorum numerum tradidit. Consentaneum est igitur, neque a vulgari neque sua ipsius opinione recessurum, nisi certum quendam auctorem secutum; neque hujus discrepantiae futurum plane immemorem fuisse, nisi obiter et parum considerate scripsisset.

Ex iis quae disputavimus eorum quae Livius de interregno tradit auctoritatem summam esse intelligitur. Qui quum creandis interregibus decem decurias et decem principes qui deinceps regnaverint fuisse disertis verbis testetur, senatum autem eo tempore non centum patrum sed ducentorum fuisse satis constet, quaeritur, quomodo haec, quae pugnare videantur, conciliari queant. De qua re priusquam nostram sententiam proponamus, satius erit rationem a Niebuhrio initam cognovisse. Qui rem expedivisse dubitationemque exemisse sibi visus est, Sabinis exclusis interregnum ad solos Ramnes pertinuisse pro certo statuens [2]). Consentaneum enim esse hos dignitate antecessisse oriundis a Sabinis; uti autem vel postero tempore in omnibus coloniis et municipiis Latinis decem primi senatui praefuerint, ita etiam Romano senatui praefuisse, priusquam Sabini accesserint; quibus adjunctis illos decem tamen principatum quendam tenuisse; id apparere ex locis scriptorum pluribus, quibus senatui Romano regum et primo liberae reipublicae tempore praefuisse vel innuerentur vel disertis verbis traderentur. Quid igitur versimilius esse quam ad hos solos interregnum pertinuisse? Haec est Niebuhrii sententia, de qua Goettlingius in libro de Ant. Rom. p. 152 et p. 164 id judicium fert, ut decem primos in senatu fuisse probet, e solis

1) c. XX. *Διπλασιασθείσης δὲ τῆς πόλεως ἑκατὸν μὲν ἐκ Σαβίνων πατρίκιοι προςκατελέχθησαν.*
2) V. I. p. 378, cf. p. 338 et 676.

Latinis interreges fuisse idem improbet. Verisimile enim esse, decem primos non solum apud hos sed etiam apud Sabinos et Luceres fuisse, et interregni orbem ivisse per omnes, et Latinorum eam praerogativam fuisse, ut prodendis interregibus ab iis initium fieret. Nobis quae de decem primis existimant falsa esse persuasum est. Videamus de singulis et primum quidem de locis, quibus decem illi commemorari putantur. Quorum longe gravissimus apud Dionysium legitur L. VI. c. 69 sqq., ubi decem senatorum principes, *οἱ ἐπιφανέστατοι τῶν πρεσβυτέρων*, ad plebem, quae in montem sacrum secesserat, missi dicuntur; orationes et ab his et a plebis ducibus habitae satis verbose referuntur; qui postremus eorum verba facit Agrippa Menenius c. 84 post multa alia his utitur: *Τοῦ δὲ μένειν βέβαια τὰ συγχωρούμενα νῦν καὶ μηδὲν ὕστερον ἐναντίον αὐτοῖς ὑπὸ τῆς βουλῆς ἐξενεχθήσεσθαι, πρῶτον μὲν ἡμεῖς οἱ πρέσβεις ἀνάδοχοι, διδόντες ὑμῖν σώματα καὶ ψυχὰς καὶ γενεὰς τὰς ἑαυτῶν ἐνέχυρα· ἔπειτα οἱ ἄλλοι βουλευταὶ ὅσοι τῷ ψηφίσματι συνεγγραφήσονται. Οὐ γὰρ δήποτ' ἀκόντων ἡμῶν γραφήσεταί τι κατὰ τοῦ δήμου. Οἱ γὰρ ἡγούμενοι τοῦ συνεδρίου καὶ πρῶτοι τὰς αὐτῶν γνώμας ἀποφαινόμενοι τῶν ἄλλων ἡμεῖς ἐσμεν.* His verbis decem primos significari magnam veritatis speciem habet. Quippe praeesse senatui et primi sententiam rogari praedicantur, ut omnis dubitatio exemta videri possit, quin Niebuhrium (p. 339 not. 784 et p. 676 not. 1345) recte statuisse dicamus. At hoc ipso loco de decem primis non cogitari posse, certis argumentis demonstrari potest. Quippe Dionysius nomina legatorum refert, quae illum non de suo sed ex antiquo fonte hausisse plures ob caussas probabile est. Idem judicat Niebuhrius, maxime verisimile dicens genuina eorum qui ad plebem missi sint nomina legi. Nomina haec sunt: Agrippa Menenius Caji f. Lanatus, P. Servilius Publii f., P. Postumius Quinti f. Tubertus, T. Aebutius Titi f. Flavus, Servius Sulpicius Publii f. Camerinus, A. Postumius Publii f. Albus, A. Virginius Auli f. Montanus, M'. Valerius Marci f. et T. Larcius Flavus. Lacuna tria nomina absorpsit, quorum duo M'. Valerius et T. Larcius ex ipso Dionysio, qui in sequentibus orationes eorum ad plebem habitas refert, supplentur; de decimo non constat [1]). Horum novem nemo est, qui ullo

---

1) Vulgo Sp. Nautium supplent, quod falsum esse Niebuhr. p. 676 demonstrat. Si hariolandum sit in re, de qua certi nihil constitui potest, P. Virginium fuisse conjiciam, quem unum e patribus praeter nominatos a Dionysio apud plebem gratia floruisse scimus, v. Dionys. VI. 37. Legatis unum virum non consularem interfuisse Dionys. scribit; novem quorum nomina leguntur, omnes consulares erant, P. Virginius non erat, sed idem in senatu ea verba pro plebe fecerat, cujus consilium medium maxime et moderatum videretur, v. Dionys. l. l. Liv. II. 29. Et nomen ejus propter A. Virginii nomen facilius excidere poterat.

Dionysii vel Livii loco asperae sententiae adversus plebem auctor fuisse dicatur, plerosque acriter apud patres pro plebe dimicantes videmus, quam omni modo et mitissimis consiliis conciliandam probant. Agrippa Menenius, interpres ille et arbiter concordiae civium omni vita pariter patribus ac plebi carus fuit [1]). M' Valerius omnium maxime popularis praedicatur [2]). Servilius, vir lenibus remediis aptior [3]), eo apud plebem favore florebat, ut bello feliciter confecto patres triumphi honorem ei denegarent, *στασιαστὴν ἀποκαλοῦντες καὶ πολιτείας πονηρᾶς ἐραστήν* (Dionys. VI. 30), quam caussam fuisse M. Valerius senatui exprobravit, quod plebs animum despondere et de incolumitate sua male sperare coepisset (idem c. LVIII.). T. Larcius, homo prudens et strenuus, ob virtutes et belli gloriam omnium primus dictator creatus (Dionys. V. 71) ita liberalis erat, ut seditione orta quum alii eos, qui Servilii consulis fidem secuti militassent, aere alieno liberandos censerent, non id tempus esse diceret, ut merita tantummodo exsolverentur: totam plebem aere alieno demersam esse, nec sisti posse, ni omnibus consulatur; quin si alia sit aliorum condicio, accendi magis discordiam quam sedari [4]). Hos maxima apud plebem gratia floruisse constat; etiam reliquos plebem non in eo certe, quo ceteros senatores odio habuisse probabile est. Nomen A. Postumii, qui dictator celeberrimam de Latinis victoriam reportavit, ita vulgi sermonibus vel postero tempore celebrabatur, ut miraculosae de pugna illa narrationes inde ortum traxerint. Unde concludi potest, eum minime acriter pro patribus contra plebem pugnasse. Et Dionysius l. VI. c. 22 quod oriens inter patres et plebem certamen videret, antequam opus esset, dictatura eum se abdicasse scribit. A. Virginius eo ipso anno, quo seditio orta est, cum T. Vetusio consul erat, quos indignatione et conviciis correptos a patribus legimus [5]), quod tumultuanti plebi vi obviam ire nollent; deinde orto inter juniores patrum et plebem certamine intercursu suo rixam sedasse. P. Postumius Tubertus bis consul quum utroque anno respublica summis periculis urgeretur, viris qui maximo apud populum favore erant, collega additur M. Valerio [6]) et Menenio Agrippae [7]). T. Aebutius Elva magister equitum assumitur a dictatore A. Postumio [8]).

1) Livius II. 32. oriundum ex plebe dicit.

2) Dionys. VI. 23. *Μανίου Οὐαλερίου τοῦ δημοτικωτάτου* sqq.; idem VI. XXXIX. *δικτάτωρα ἀπέδειξαν Μάνιον Οὐαλέριον δημοτικώτατον δοκοῦντα ἔσεσθαι* sqq., et pluribus aliis locis.

3) Liv. II. 23. Dionys. VI. 23. 4) Liv. II. 29. Dionys. VI. 37. 5) Liv. II. 28.

6) Dionys. V. 37. 7) Id. V. 44. 8) Id. VI. 2.

casum miraberis, quo factum sit, ut eodem tempore decem primi omnes filios haberent ad discendam haruspicinam propter aetatem et animi indolem aptos; si illud, praerogativam certe decem primorum miraberis, qua filii eorum omnes haruspicinam discerent. Neque enim eo honore apud Romanos haruspices fuerunt, quem appetivisse magnopere principes Romanos credibile sit.

Locis, quibus decem primos commemorari Niebuhr. existimat, nihil tribuendum vidimus; superest ut quaeramus, num sententia illa per se ita sit probabilis, ut licet nullis scriptorum locis confirmata tamen defendi et decem primos in senatu fuisse ad interregum decuriam explicandam credi possit. Jamvero nullus erat magistratus, nullum sacerdotium, quin aequaliter inter Latinos et oriundos a Sabinis divideretur; reges ex utraque gente alternabant, pontifices augures vestales fetiales et quae alia sunt collegia pari numero ex Latinis erant et Sabinis [1]). Unumne interregnum solis Latinis permissum fuisse? An forte is magistratus ita nullius momenti erat neque in ullo discrimine ponebatur, ut Sabinos honore qui fere nullius pretii esset, facile cessisse verisimile sit? At post regnum nihil interregno grandius et majoris momenti, non solum quod pro rege esset, qui fungeretur eo honore, sed quod novi regis creatio ei eveniret. Quae quidem tanti erat ex veterum opinione, ut certantes Romulo mortuo Latini et Sabini eo pacto in amicitiam rediisse narrentur, ut alter ordo ex altero regem crearet; Latini quibus optio daretur a Sabinis, sive regem Latinum a Sabinis creari sive ipsi Sabinum creare vellent, regno creationem regis praetulisse [2]).

Hae caussae sunt, ob quas Niebuhrii sententiam neque veterum locis confirmari neque per se probabilem esse existimemus. Nostram sententiam propondituri idem quod Niebuhr. quasi fundamentum, quo insistat quaestio, habemus, quod decem fuisse patrum decurias et decem deinceps interreges, propter Livii et Plutarchi auctoritatem pro certo ponimus. Difficultas autem, quam numerus senatorum habet, omnis facili modo expeditur, si interregnum et ipsum inter Latinos et Sabinos alternasse sumis, ut, quamquam senatus ducentorum erat, ad singula interregna tamen centum tantum patres pertinuerint. Quam facilis enim est error Livii, qui quum centum patres, penes quos interregnum fuisset, commemorari videret, hunc universum senatum esse opinaretur?

1) V. Niebuhr. I. p. 335 sqq. 2) V. Plutarch. Num. c. III. Dionys. II. 58.

Quidni autem probabile sit, uti regnum ita etiam interregnum inter utrumque ordinem alternasse, quum aequo jure Sabini fuerint? Utramque gentem sociata civitate non ea concordia coaluisse constat, quin magna intercederet aemulatio; quid igitur magis consentaneum, quam si Sabinus rex crearetur, per Latinos, si Latinus, per Sabinos creari? Id enim maxime cavendum erat, ut non solum ei genti, a qua rex oriundus erat, acceptus esset (id sponte sua futurum videbatur), sed ne alteri eum in odio haberent, unde ordinum concordia turbaretur. Quam ob caussam quis sapientissime factum negabit, si comitia non penes eosdem esse decerneretur, e quibus rex esset creandus? Quae res per se ita est verisimilis, ut etiamsi ad confirmandam eam nihil traderetur praeterquam quod singula interregna ad centum tantum patres pertinuisse narrantur, tamen probari possit. Jamvero id ipsum quod volumus in iis quae de antiquissima civitate a rerum scriptoribus narrantur, modo recte interpretemur, disertis verbis inesse reperimus.

Quippe si narratorum de Romulo et Numa originem spectas, non tam vitam eorum hominum contineri, quam mythica ratione imaginem antiquissimae reipublicae sub fabulis latere et institutorum quae fuerint rationes inde expediri posse apud homines doctos hodie omnes constat. Unde ea quae de interregno quod post Romuli mortem fuerit, narrantur, ad universam ejus instituti rationem transferre in promtu est. Jam vero rege mortuo magnum certamen fuisse narrant, ex utra gente rex novus crearetur; tandem post longam contentionem inter utrosque convenisse, ut aut Latini regem crearent non de sua gente sed ex alteris quem maxime idoneum judicarent, aut oriundi a Sabinis idem facerent [1]). Optione data veteres senatores creationem regis regno praetulisse. Et hoc quidem ab iis additum, qui veram caussam, ob quam regno cederent Latini, non perspexissent; quam non aliam fuisse apparet, quam quod regnum, quod inter utramque gentem alternaret, Romulo rege Latino mortuo pacti lege ad Sabinos

1) Dionys. II. 58. *Ἑλκομένης δ' ἐπὶ πολὺ τῆς φιλονεικίας τελευτῶντες ἐπὶ τούτῳ συνέβησαν τῷ δικαίῳ, ὥστε δυοῖν θάτερον, ἢ τοὺς πρεσβυτέρους βουλευτὰς ἀποδεῖξαι βασιλέα σφῶν μὲν αὐτῶν μηδένα, τῶν δ' ἄλλων ὃν ἂν ἐπιτηδειότατον εἶναι νομίσωσιν, ἢ τοὺς νεωτέρους τὸ αὐτὸ ποιῆσαι τοῦτο. Δέχονται τὴν αἵρεσιν οἱ πρεσβύτεροι καὶ πολὺ ἐπὶ σφῶν αὐτῶν βουλευσάμενοι ἔγνωσαν* — sqq. Plut. Num. III. *Ἐκ τούτου συνέβησαν ἀμφότεραι πρὸς ἀλλήλας αἱ στάσεις, ὥστε τὴν ἑτέραν ἐκ τῆς ἑτέρας ἀποδεῖξαι βασιλέα. Μάλιστα γὰρ ἂν οὕτως ἔν τε τῷ παρόντι παύσασθαι τὴν φιλονεικίαν καὶ τὸν ἀποδειχθέντα πρὸς ἀμφοτέρους ἴσον γενέσθαι, τοὺς μὲν ὡς ἑλομένους ἀγαπῶντα, τοὺς δ' εὔνουν ὄντα διὰ συγγένειαν. Ἐπιτρεψάντων δὲ προτέροις τοὺς Ῥωμαίοις τὴν αἵρεσιν, ἔδοξε μᾶλλον ἑλέσθαι Σαβῖνον αὐτοὺς ἀποδείξαντας ἢ παρασχεῖν Ῥωμαῖον ἐκείνων ἑλομένων. Καὶ βουλευσάμενοι καθ' ἑαυτοὺς ἀποδεικνύουσιν ἐκ Σαβίνων Νουμᾶν Πομπίλιον* sqq. Cf. etiam Liv. I. 17.

pertineret. Verum demtis fabulae involucris nonne perspicuum est ostendi eandem rationem quam de interregno proposuimus? ut alternis vicibus penes alteros regnum penes alteros interregnum novo regi creando fuisse statuamus.

Reges creabantur non a populo sed a senatu, vel potius, si nos audis, ea senatorum parte, penes quos interregnum erat [1]). Quo facto interrex comitiis curiatis rogationem ferebat, vellent juberentne eum regem esse; ut populi ea tantum potestas esset, qua regem confirmarent aut rejicerent. Ita reges creati (Numa et Ancus ex Sabinis, Tullus ex Latinis) usque ad Servium, qui primus nullo senatusconsulto et injussu populi regnavit [2]), quamquam firmato imperio et civium voluntate conciliata ausus est ferre ad populum, quod ab interrege ferri mos fuerat, vellent juberentne se regnare. Post exactos reges saepe interreges comitiis habendis fuerunt, sed nulla jam decuriarum, in quas senatores divisi fuerint, mentio. Quippe ipsa res postulabat, hos interreges nullo ordinum discrimine a senatu creari; quid enim attinebat, regno sublato Latinos et Sabinos eo quo antea modo disjungi? Certamen jam non inter Latinos et Sabinos, sed inter patres et plebem futurum erat. Etiam Tarquinio Prisco rege Luceres, post exactos reges homines de plebe in senatum adsciti erant. Creabantur autem interreges habendis comitiis has fere ob caussas: si uterque consul mortuus esset [3]), si morbo impedirentur [4]), si propter seditiones nulli magistratus essent, a quibus comitia haberi possent, uti post decemvirale imperium [5]) et quo tempore propter legum Liciniarum turbas solitudo magistratuum curulium per quinquennium urbem tenuit [6]), vel denique si tribuni plebis comitiis consulum vel

1) Plut. et Dionys. l. l. disertis verbis: *βουλευσάμενοι καθ' ἑαυτοὺς ἀποδεικνύουσιν* sqq. Confirmari videtur sententia nostra etiam verbis Dionysii IV. 80, quibus permissum fuisse iis qui interreges creati essent dicit, dijudicare, quis regno maxime idoneus esset. Quo loco modus quo rex creari debeat, Bruti oratione, nihil eorum a Tarquinio tyranno usurpatum querentis, his verbis describitur: *Τὴν ἡγεμονίαν, ἵν' ἀπὸ ταύτης ἄρξωμαι, πῶς παρέλαβεν; ἆρά γε ὡς οἱ πρὸ αὐτοῦ γενόμενοι βασιλεῖς; πόθεν; πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Ἐκεῖνοι μὲν γε ἅπαντες ὑφ' ἡμῶν ἐπὶ τὰς δυναστείας παρήγοντο κατὰ τοὺς πατρίους ἐθισμοὺς καὶ νόμους· πρῶτον μὲν ψηφίσματος ὑπὸ τῆς βουλῆς γραφέντος, ᾗ περὶ πάντων ἀποδέδοται τῶν κοινῶν προβουλεύειν· ἔπειτα μεσοβασιλέων αἱρεθέντων, οἷς ἐπιτρέπει τὸ συνέδριον ἐκ τῶν ἀξίων τῆς ἀρχῆς διαγνῶναι τὸν ἐπιτηδειότατον· μετὰ ταῦτα ψῆφον ἐπενέγκαντος ἐν ἀρχαιρεσίαις τοῦ δήμου, μεθ' ἧς ἅπαντα ἐπικυροῦσθαι βούλεται ὁ νόμος· ἐφ' ἅπασι δὲ τούτοις οἰωνῶν σφαγίων καὶ τῶν ἄλλων σημείων καλῶν γενομένων· ὧν χωρὶς οὐθὲν ἂν γένοιτο τῆς ἀνθρωπίνης σπουδῆς καὶ προνοίας ὄφελος.*

2) Dionys. IV. 8: *Τοῖς δὲ πατρικίοις οὐκ ἦν τὰ γιγνόμενα καθ' ἡδονὴν, ἀλλ' ἠγανάκτουν καὶ χαλεπῶς ἔφερον, οὐκ ἀξιοῦντες αὐτὸν ἑαυτῷ τινα μηχανήσασθαι βασιλικὴν ἐξουσίαν, μήτε βουλῆς ψηφισαμένης, μήτε τῶν ἄλλων τῶν κατὰ νόμον ἐπιτελεσθέντων.*

3) r. Liv. III. 8. Dionys. IX. 69. 4) Cfr. Dionys. IX. 13. 5) Cfr. Liv. III. 55. 6) Cfr. Liv. VI. 36.

tribunorum militum consulari potestate intercessissent [1]). Saepius enim factum est, ut comitia, quae a consulibus haberi tribuni non sinerent, ab interrege haberentur, sive ea interregni major quaedam sanctitas et auctoritas fuit, sive patrum obstinatis studiis victi tribuni a certamine desistebant. Ita anno u. c. 271 quum comitia a tribunis dissolverentur, senatus diu deliberavit, utrum dictatorem crearent an interregem; vicit tandem mitior sententia, ut interreges proderentur; a quibus comitia nullo negotio habita sunt [2]). Neque tamen semper tribuni ab interrege vincebantur; quale est quod anno u. c. 402 factum legimus. Nam quum primum dictator et postquam hic certamine protracto magistratu abiit, interreges comitia habituri essent non secundum legem Liciniam, sed quibus uterque consul e patribus crearetur, seditionibus certatum est ad undecimum interregem, donec patres obstinata tribunorum contentione victi observari legem Liciniam comitiis consularibus juberent [3]). Plerumque a secundo interrege comitia habebantur [4]); ubi interregnum ad plures pervenit, caussa fere est, quod tribuni comitia haberi non patiuntur [5]). Sed ab eo, qui primus interrex proditus erat comitia haberi moris non erat [6]). Singulorum imperium omni liberae reipublicae tempore quinque dierum fuisse constat [7]); quo modo in senatu creati sint, non constat. Videtur qui habebat senatum nominibus eorum quos maxime idoneos judicaret propositis senatorum sententias interrogasse, creatos prodidisse. Unde factum est, ut etiam qui senatum haberet, creare interreges diceretur [8]), simili modo quo etiam interreges ipsi creasse reges dicuntur [9]). Simile etiam est, quod interrex successorem nominasse dicitur [10]); quod eodem modo fit, quo dictatores a senatu creati dicuntur a consule; solenne enim fuisse videtur interregem magistratu abeuntem nomen ejus prodere qui sibi succederet. Elige-

1) Cfr. Liv. IV. 51. VII. 21. Dionys. VIII. 90. XI. 62.

2) Dionys. VIII. 90: *ἡ δ' ἐπιεικεστέρα (γνώμη ἦν) μεσοβασιλεῖς ἑλέσθαι τοὺς πρεσβυτάτους τε καὶ τιμιωτάτους ἄνδρας, οἷς ἐπιμελὲς ἔσται τὰ περὶ τὰς ἀρχὰς, ὅπως κράτισται γενήσονται, προνοηθῆναι, τὸν αὐτὸν τρόπον ὅνπερ ἐπὶ τῶν βασιλέων τῶν ἐκλιπόντων ἐγίγνετο*, sqq., quae postrema verba utrum ad modum quo proderentur interreges, an ad munera quae obirent et auctoritatem quam exercerent, referantur, dubitari potest. 3) V. Liv. VII. 21. 4) Cfr. Dionys. VIII. 90. IX. 14 et aliis locis.

5) Interdum caussa, ob quam interregnum ad plures pervenerit, latet, ut Liv. III. 8: „cum aliquot interregna exissent, P. Valerius Publicola tertio die quam interregnum inierat, consules creat, sqq.“

6) Cfr. Ascon. in Mil. V. 7) V. Ascon. l. l. 8) Cfr. Dionys. IV. 75. IV. 84.

9) V. Dionys. II. 58. Liv. III. 8. et aliis locis. Cfr. Dionys. V. 72. quo loco primus dictator eodem modo a consule dictus traditur, quo interreges uterentur (h. e. regem vel postea consules nominarent).

10) V. Dionys. VIII. 90.

bantur autem interreges viri honoribus genere aetate spectatissimi [1]). Auspicato quamquam sine suffragio populi prodebantur [2]). Ad unum hunc magistratum plebeji nunquam admissi, sed interregem et ipsum patricium esse et a patricio prodi necesse erat [3]).

Interregni frequens usus, dum certamina inter patres et plebem erant. Post id tempus paullatim omitti coepta sunt [4]). Quamquam verum non est, quod Niebuhr. p. 377 scribit, tribus ante Dionysium et Livium seculis interregnum nullum fuisse, uno excepto quod propter tumultum et turbas in censum venire non possit (quod fuit anno u. c. 701). Nam sub finem liberae reipublicae saepius interreges prodebantur. Plus semel his majus imperium permissum senatusconsulto facto, videret interrex, ne quid respublica detrimenti caperet. A Valerio Flacco interrege lex lata, ut quaecunque Sulla fecisset, rata essent [5]). Post Sullae mortem anno u. c. 677 interrex erat Appius Claudius, quo tempore quum M. Aemilius Lepidus maximas turbas excitaret, L. Philippus, cujus oratio in fragmentis Sallustii exstat, censuit, ut Appius Claudius interrex cum Q. Catulo proconsule et caeteris, quibus imperium erat, urbi praesidio essent, operamque darent, ne quid respublica detrimenti caperet. Post biduum quam Clodius occisus est (anno u. c. 701) res ad interregnum venit seditionis et turbarum plenum, sed ex ipsa turbarum narratione apparet fere eadem etiam tunc de interrege servata esse atque antiquo tempore. Nam quia recens Milonis invidia erat, Scipionis et Hypsaei factiones contra jus postulabant, ut M. Aemilius Lepidus interrex statim ad comitia consulum creandorum descenderet; quod quum facere nollet, quoniam comitia a primo interrege haberi moris non esset, domum ejus per quinque interregni dies omnes obsederunt, postremo janua expugnata imagines majorum dejecerunt, vi ultra grassaturi, nisi Milonis manus supervenisset et ipsa comitia postulans; sed in se ipsae dum convertuntur factiones inimicae, oppugnatio domus omissa est [6]). Senatus decrevit, ut cum interrege et tribunis plebis Pompejus daret operam, ne quid respublica detrimenti caperet [7]).

Decem annis post quum proelio Mutinensi uterque consul occidisset, comitiis habendis non interreges sed proconsules creati sunt [8]).

1) V. Dionys. XI. 20. τὸν ἐπιτηδειότατον ἐκλέξαντες τῶν πολιτῶν. Id. VIII. 90 ἑλέσθαι τοὺς πρεσβυτάτους καὶ τιμιωτάτους ἄνδρας. 2) V. Liv. VI: 41. 3) Verba sunt Ciceronis pro domo c. 14.

4) Hanc ipsam caussam esse, apparet, ob quam plebeji ad hunc honorem non pervenerint.

5) V. Cic. Agrar. III. c. 2. 6) Ascon. in Mil. XV. Dio Cass. XL. 49. 7) Ascon. in Mil. XXV.

8) Dio Cass. XLVI. 45.